Als Probelehrer sind in unsre Anstalt eingetreten:

57. (1856) Heinrich Ernst Wilhelm Hänsel, seit 1858 Oberlehrer an der Realschule in Chemnitz;
58. (1860) Louis Hermann Laue, jetzt Oberlehrer an der Realschule in Neustadt-Dresden;
59. (1871) Dr. ph. Kurt Bernhardi.

Es sind also von den in dieser Reihe Verzeichneten zehn vom Tode abgerufen worden, vier sind in geistliche Aemter, dreizehn in höhere Schulämter übergegangen, einer hat freiwillig resignirt, zwei sind in Folge besonderer Dispositionen ausgeschieden, neun und zwanzig wirken gegenwärtig an der Doppelanstalt.

Die Schülerzahl stellt sich nach den einzelnen Schuljahren in folgenden Ziffern dar:

1855—56	im Ganzen	234	Schüler,	1863—64	im Ganzen	290	Schüler,
1856—57	"	268	"	1864—65	"	334	"
1857—58	"	281	"	1865—66	"	338	"
1858—59	"	271	"	1866—67	"	368	"
1859—60	"	256	"	1867—68	"	400	"
1860—61	"	284	"	1868—69	"	410	"
1861—62	"	287	"	1869—70	"	415	"
1862—63	"	258	"	1870—71	"	456	"

Im laufenden Schuljahre haben bis jetzt 479 Schüler (184 im Gymnasium, 295 in der Realschule) am Unterrichte Theil genommen.

Blicken wir aber am Schlusse lieber vorwärts auf die ferner mögliche Entwickelung der Doppelanstalt. Unsre Stadtgemeinde hat in preiswürdiger Gesinnung Ungewöhnliches gethan, um die vereinigten Schulen als edle Bildungsstätten sich zu sichern und ihnen die Möglichkeit frischer Bewegung und freier Entfaltung zu schaffen. Wie nun darin für Alle, welche im Wechsel der Zeiten als Lenker und Lehrer den jetzt zu weihenden Bau betreten werden, eine ernste Mahnung zu treuester Pflichterfüllung liegen muss, so wird für sie auch der königliche Name, der den Bau und die Anstalt schmückt, eine immer neue Ermunterung sein zu sorgsamster Pflege der ihnen anvertrauten Güter. Der Herr aber segne, was in solcher Gesinnung geschieht! Er stärke auch die matten Hände und richte auf die müden Kniee! Er lasse fort und fort in diesem Hause das Licht seiner Wahrheit leuchten, die Kräfte des aus ihm quellenden Lebens wirken!

Heinrich Kæmmel.

De pietatis notione,
quam Plato in Euthyphrone tractat.

Pietatem ab antiquis hominibus omnium virtutum summam ac gravissimam judicatam esse scripta eorum abunde testantur. Non solum poetae, ut qui natura ita comparati sint, ut divino flatu ducantur, sed etiam ceteri scriptores, inprimis philosophi, quum omnino sensum pietatis ostendunt, tum certis quibusdam sententiis ingenue fatentur hoc sibi persuasum esse nihil majus esse in vita hominum, nihil gravius, nihil magnificentius pietate. Ex quibus sententiis paucas in eorum memoriam revocare liceat, qui a pueris antiquitatis studiis delectati sunt nec primoribus tantum labris veterum libros degustarunt, sed ita pertractarunt, ut legentes atque admirantes incaluerint. Quam praeclare Sophocles Herculem in Philoctete haec loquentem facit (v. 1141—1144):

— — εὐσεβεῖν τὰ πρὸς θεούς.
ὡς τἄλλ᾽ ἅπαντα δεύτερ᾽ ἡγεῖται πατὴρ
Ζεύς. οὐ γὰρ ηὐσέβεια συνθνήσκει βροτοῖς.
κἂν ζῶσι κἂν θάνωσιν, οὐκ ἀπόλλυται.

Nec minus notum est illud Socratis (Xenoph. Mem. IV, 4, 19):

Παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις πρῶτον νομίζεται τοὺς θεοὺς σέβειν.

Quem Plato secutus ita dicit (Epinomis p. 989): *Μεῖζον μὲν γὰρ ἀρετῆς μηδεὶς ἡμᾶς ποτε πείθῃ τῆς εὐσεβείας εἶναι τῷ θνητῷ γένει.*

Sed quamquam scriptores antiqui in hoc uno consentiunt pietatem omnibus reliquis virtutibus esse praeponendam et praecipua auctoritate exornandam, tamen magnopere inter se dissentiunt ac disceptant, quaenam sit pietatis vis ac natura, quibus in rebus cernatur, qua et sentiendi et agendi ratione sit insignis. Quibus de rebus quam varie sit disputatum etiam apud antiquos, neminem fugere potest, qui paullulum in his studiis sit versatus. Nec mirum, quoniam vel inter eos, qui, quum christianae religioni sint addicti, lumina divina sibi immissa habere possint, iisdem de rebus maxima est dissensio ac disceptatio. Ex omnibus tamen illis multis ac variis de pietate sententiis duae praecipue apud antiquos maximam mihi vim habere videntur, una eorum, qui illam virtutem arctioribus circumscribunt cancellis et in rebus collocant externis existimantes pietatem in sacrificiis ac donis offerendis, in precibus fundendis, in ritibus et caerimoniis factitandis, in reliquis rebus externis esse positam, altera eorum, qui altius sapientes et ad puriorem quandam ac sublimiorem pietatem aspirantes judicant eam ad mentem atque animum referendam esse et, quum animus humanus arctissimo cum diis vinculo sit conjunctus et quasi cognatus, ita exerceri, ut homines et cogitando et agendo deos colant atque, quantum possint, imitentur.

Quae quum ita sint, vix fieri potuit, quin Plato, qui, a praeclarissimo praeceptore Socrate ita institutus, ut nec vulgaribus opinionibus inhaeresceret nec vanam rerum speciem aut virtutum splendorem appeteret, sed naturam rerum exploraret et ad veritatem virtutum eniteretur, totam vitam in notionibus examinandis consumpsit, praeter *δικαιοσύνης* et *σοφίας* et *σωφροσύνης* et *ἀνδρείας* notiones etiam copiosius disquireret *ὁσιότητος* sive *εὐσεβείας*. Quam notionem quum multis aliis

dialogorum locis vel obiter tetigit vel uberius tractavit ita, ut doceatur, quid commune pietas habeat cum reliquis virtutibus iis, quae apud Platonem omnium primariae atque summae judicantur, maxime cum justitia et temperantia, (cf. Theaet. p. 176; de republ. II. p. 379; Leg. X. p. 905 D; Protag. p. 330 B — 333 B; Gorg. p. 507 A), tum in nullo dialogo accuratius aut copiosius examinavit quam Euthyphrone. Quae autem Plato de pietatis ac sanctitatis notione proposuit, ea mihi quidem etiamnunc dignissima videntur, quae identidem perpendantur atque animis inculcentur.

Omnia tamen, quae Stallbaumius aliique interpretes magna doctrina in suis commentariis de duplici hujus dialogi proposito exposuerunt, praetermittentes nec artem dialecticam, qua philosophus etiam hic usus est admirabili,[1]) diligentius persequentes, ea tantum promemus et tractabimus, quae ad ipsam pietatis notionem, qualem Plato definire voluerit, recte explanandam facere videbuntur. Ut autem in his tractandis recte procedamus, primum argumentum Euthyphronis quam brevissime fieri poterit exponemus, tum quas de pietate falsas opiniones Plato Socratem refutantem faciat, copiosius disseremus, denique quam ipse sive Plato sive Socrates pietatis notionem amplecti videatur, examinabimus atque illustrabimus.

Ordiendum est ab ipso Euthyphronis argumento. Ex suo more, quem raro negligit, Plato prooemium (Cap. I—V, p. 2 A—5 D) praemittit. Ab initio Euthyphro miratur, cur Socrates homo innocentissimus in porticu regia commoretur. Ibi enim ὁ ἄρχων βασιλεὺς causas caedis et impietatis cognoscere solebat. Respondet Socrates se a Meleto quodam juvene procaci et arroganti impietatis esse accusatum, quod et juvenes corrumperet et novos deos faceret. Hac re paucis exposita Socrates Euthyphronem interrogat, quam ipse causam habeat, utrum accuset an accusetur. Qui respondet se accusare homicidii patrem, qui mercenarium quendam in insula Naxo vinctum fame et frigore perire passus sit. Priusquam enim is rediisset, quem Athenas ad rerum sacrarum interpretem misisset consultum, de illo homine quid esset statuendum, mercenarium mortuum esse. Deinde quum interrogatus, num pietatis et impietatis rationes ita perspectas haberet, ut hac in re perdifficili peccare non posset, penitus se perspectas habere affirmasset, Socrates ab eo petit, ut ipsum, qui prorsus imperitus sit earum rerum, edoceat, ne Meleti accusationi succumbere cogatur. Hoc exordio via ad ipsam rem praeparata jam prima dialogi parte (Cap. VI et VII, p. 5 D — 6 E) Euthyphro interrogatus, quid sit pietas, quid impietas, respondet pietatem in eo ipso, quod nunc agat, positam esse, ut malefici, quicunque sint, etiamsi pater et mater sint, in jus vocentur, impietatem in eo, ut non accusentur. Qua in re criminationes in se conjectas ita diluere studet, ut ad exempla Jovis omnium deorum optimi ac justissimi provocet, qui patrem vinxerit, et Chroni, qui patrem exsecuerit. Socrates vero vatem Atheniensem vulgaribus opinationibus addictum urbanissime ac lepidissime irridet, quod fabulas ejusmodi ridiculas de diis fictas et a poetis pictoribusque in vulgus propagatas credat, quamquam simulat se, qui omnino de diis certi quidquam statui posse neget, Euthyphroni non posse non assentiri. Sed his fabulis, ne a proposito aberraretur, missis, ubi Euthyphro a Socrate eo adductus est, ut etiam multa alia esse concederet, in quibus aut pietas aut impietas cerneretur, quibus verbis actiones dicit similes, quibus jura et divina et humana defendantur, improba facinora prohibeantur, Socrates negat illa definitione sibi esse satisfactum, quippe qua unam alteramve rem piam aut impiam afferat, sed non omnes comprehendat, eumque hortatur, ut pietatem et impietatem ita definiat, ut omnes singulae res atque actiones ad notionem generalem referri possint. Ita coactus Euthyphro secunda dialogi parte (Cap. VIII—X et initium Cap. XI, p. 7 A — 9 C) notionem pietatis

[1]) Hac de re adeantur dissertationes Yxemi (über Platons Euthyphro. Programmabhandlung des Hrn. Prof. Yxem am Friedr.-Wilhelm-Gymnasium Berlin 1842) et Muenscheri (Inhalt und Erläuterung des Platon. Dialogs Euthyphron. Programmabhandlung des Hrn. Dir. Dr. Wilh. Münscher am Gymn. zu Hersfeld 1859.)

et impietatis ita definit, ut pietatem in iis cerni dicat, quae diis placeant, impietatem in iis, quae diis displiceant; pium ergo hominem esse eum, qui carus sit diis ac probetur, impium, quem oderint. Quam definitionem quamquam Socrates concedit verbis recte esse conformatam, tamen veram esse negat, quum haec sit Euthyphronis opinio, deos inter se dissentire atque contendere; aliis igitur diis alia placere et cara esse; itaque fieri posse, ut, quod pium sit, idem sit impium. Quod ipsum jucunda cum irrisione ad actionem transfertur, quam patri Euthyphro intendit, quae aliis fortasse diis placeat, aliis displiceat. Omnino etiam hac in disputatione Socrates magna et subtilitate et urbanitate falsas de diis opiniones Euthyphronis refellit ac redarguit. Quem ubi docuit apud homines nullam esse controversiam de iis, quae ratiocinando aut metiendo aut ponderando definiri possint, sed de eo, quid justum sit, quid injustum, quid honestum, quid turpe, quid bonum, quid malum, ne apud deos quidem aliis de rebus ambigi posse aut certari argumentando confirmat. At ita statuere absonum esse ex Socratis sententia quis non intelligat? Nam si dii sunt, boni sint necesse est. Cui non se intrudat locutio hac in parte maxima vi ter repetita *εἴπερ τι θεοὶ διαφέρονται* (p. 7 D), *εἴπερ στασιάζουσι περὶ τῶν δικαίων καὶ ἀδίκων* (p. 8 D), *εἴπερ ἀμφισβητοῦσί γε θεοί* (p. 8 E)? Dii enim si sunt, de omnibus rebus inter se consentiant necesse est. Quum igitur ne hac quidem definitione Euthyphro Socrati satisfecisset, aliam eamque meliorem conformare coactus est; quam deinde tertia dialogi parte (Cap. XI — init. Cap. XIII, p. 9 D — 11 B) superiorem consummans proponit ita, ut definiat pium esse, quod a diis ametur omnibus, omnes vero dii quod oderint, impium, et quod alii ament, alii oderint, aut neutrum esse aut utrumque. At hanc quidem definitionem sufficere Socrates negat, quod non ipsam rei naturam (*οὐσίαν*) tangat, sed id tantum afferat, quo dii afficiantur (*πάθος*). Quod quum admirabili illa, qua pollebat, arte dialectica Euthyphroni probasset, hic plane perturbatus ac paene desperatus miratur, qui tandem fiat, ut, quae modo proposuerint, nunquam suo loco maneant, sed semper moveantur atque circumferantur. Quae verba Platoni occasionem praebent inter dramaticos disputationis actus scenam inserendi plenam suavissimi leporis Socratici; Socratem enim ita disserenten facit, ut Euthyphronem comparet cum Daedalo, cujus ars tanta fuisse dicitur, ut statuae ab eo factae suo loco moverentur et quasi ambularent. Quod quum Euthyphro de semet ipso dici posse negasset et hanc Daedali artem potius tribuisset Socrati, hic, si ita esset, lepidissime respondet se tanto futurum esse artificiosiorem Daedalo, quod ille sua tantum ea fecerit, ut suo loco moverentur, ipse vero etiam aliena talia facere dicatur (p. 11 C — E). Quibus interpositis quarta dialogi parte (a medio inde Cap. XIII usque ad Cap. XVI prope extremum, p. 11 E — 14 B.) ipse Socrates, ut rectius pietas definiatur, Euthyphroni ita subvenit, ut pietatem proponat partem esse justitiae (*δικαιοσύνης*). Quare jam ita definit pietatem, ut eam partem justitiae esse statuat, quae ad deorum pertineat cultum, quum reliqua pars pertineat ad curam hominum. Hanc definitionem quum ab initio Socrates laudasset atque approbasset, tamen, ne qua ullius vocis obscuritas aut ambiguitas relinqueretur, hoc quaerendo ex Euthyphrone elicere studet, quinam cultus (*θεραπεία*) deorum sit intelligendus, exemplis ab arte equaria, venatoria pecuariaque petitis, ne quis in eum errorem incurrat, quasi ipsorum causa dii colantur aut etiam, id quod absonum sit, meliores reddantur. Quum vero id ipsum agat, ut Euthyphronem ad veram cultus definitionem proponendam adducat, ut ejus et natura et fine recte intellectis etiam pietatis definitio perfecta evadat, tribus exemplis medicorum, fabrum navalium, architectorum praeclare id illustrans, semper ab artificibus, famulis ministrantibus, aliquid effici, Euthyphro non modo non finem definire potest aut comprehendere, quem dii hominibus ministrantibus assequi velint, sed etiam interrogatus; *τί δὲ δή; τῶν πολλῶν καὶ καλῶν, ἃ οἱ θεοὶ ἀπεργάζονται, τί τὸ κεφάλαιόν ἐστι τῆς ἐργασίας;* summa rei neglecta ad pristinam suam revolvitur opinionem atque singulas quasdam actiones pias affert. Quinta enim dialogi

parte (Cap. XVI extr. — Cap. XIX, p. 14 B — 15 C) denuo pietatem in eo positam esse definit, ut quis sacrificando et precando diis gratum faciat, impietatem, ut ingratum faciat. Hac definitione proposita simul docet pietate civitates et domos conservari, impietate labefactari et everti. Haec autem addentem quod Plato Euthyphronem facit, dubitari nequit, quin duo indicare velit, unum, Euthyphronem semper rei naturam fugere et ea describere, quae inde consequi necesse sit, alterum, vulgarem hanc esse de pietate opinionem, quasi vero non hoc primum ac summum sit pietatis propositum, ut illa duce singuli homines animorum consequantur salutem, sed illud, ut domus et civitates conserventur, quod per se consequatur, dummodo vera pietas regnet. Quapropter Socrates maximopere se dolere dicit, quod Euthyphro, eo ipso tempore, quo haud procul afuerit, quin ipsam pietatis naturam definiendo assequeretur, rursus de recta via declinaverit; tum vero demonstrans, si pietas ea esset, quam definisset, eam artem futuram esse dandi et precandi, eum concedere etiam hoc cogit, artem futuram esse quandam negotiandi atque eam quidem, ex qua homines tanto majora et plura commoda perciperent, quanto pauperiores essent. Nullum enim esse his in terris bonum, quod homines non acceperint a diis. Itaque futurum esse, ut homines perciperent utilitates omnes, dii nullas. Ne tamen dii omnibus destituantur commodis, Euthyphro honorem, praemia, gratiam enumerat, quae ab hominibus accipiant. Unde fit, ut pium rursus sit id, quo quis diis gratum faciat. Facillime igitur Socrates hanc ipsam esse definitionem ostendit, quam jam refutaverit; quae cum ita sint, non esse, cur miretur, si oratio non suo loco manere, sed moveri atque etiam circumferri et in gyrum duci videatur. Maxime autem hac in parte eam pietatis definitionem irrideri, ex qua ars sit quaedam mercaturae faciendae inter homines et deos instituta, quis non videt? Quam humilis haec est de pietate opinio, quam illiberalis, quam plebeja! — Totius disputationis finem facit epilogus (Cap. XX, p. 15 D — 16 A) consueto more additus, in quo Socrates primum Euthyphronem hortatur, ut ad pietatem definiendam rursus animi contentionem adhibeat et tandem aliquando veritatem proferat. Nam dubitari non debere, quin possit; etenim si non posset, non patrem fuisse accusaturum. Qua in causa periculum esse, ne jura et divina et humana violentur. Quum vero ille hanc rem in aliud tempus rejiciat, propterea quod nunc tempus urgeat abeundi, magna Socrates respondet se spe esse dejectum duplici, una, quod speraverit futurum esse, ut Meleti accusatione liberaretur, si demonstrare potuerit, se Euthyphronis discipulum factum hujus peritiam rerum divinarum imbibisse, altera, quod spem habuerit se totam reliquam vitam melius victurum; quibus verbis ultimis mihi quidem hoc dicere videtur, vera pietatis cognitione homines etiam ad recte vivendi rationem duci.

Argumento exposito facile erit demonstrare, quas falsas de pietate opiniones Plato Socratem refutantem fecerit. Si autem omnia animo complector, quae hoc dialogo tractantur vel certe indicantur, quatuor video genera pietatis falsae, primum, quod in sanctis officiis violandis versetur, alterum, quod in singulis quibusdam actionibus rebusque externis cernatur, tertium, quod utilitatis percipiendae causa colatur, quartum, quod omnino falsis de diis opinationibus nitatur.

Ac primo quidem eam explodit pietatem, quae ne a sanctis quidem officiis violandis abstineat. Nam in verbis leporis plenissimis, quibus Socrates utitur, quae non videantur nisi illudere atque irridere, tamen sensus inest gravissimus ac severissimus. Exempla ejus pietatis vel potius impietatis ipsum proponit Euthyphronem et Meletum. Euthyphro, vates Atheniensis, qui rerum divinarum peritissimus sibi videbatur, patrem, quem omni pietate, omni caritate colere ac diligere debebat, in jus vocat, ut caedis condemnetur, quod mercenarium quendam, qui unum ex servis occiderat, vinctum fame et frigore perire passus sit, priusquam nuntius ad sacrorum interpretem missus rediisset; quod quum facit, non intelligit se sanctissima officia violare, quae a filiis praestanda sint parentibus. Homicidium, inquit, pater commisit. Jam vero qui una

vivunt cum maleficis, contagione inquinantur. Quare expiandi sunt, quod fit, si malefici accusantur, ut debitas dent poenas, etiamsi pater sit aut mater. At qui in eadem domo vivebant atque Euthyphro, rectius intellexerant, impium esse intendere filium actionem patri, cui summa et reverentia et caritas deberetur, nec patrem a filio in judicii periculum adduci debere. Huc accedit, quod multa fuisse videntur, quae culpam patris Euthyphronis minuerent. Certe illum mercenarium interficere videtur noluisse, qui magis infelici quodam casu (p. 9 A: *φθάσῃ τελευτήσας*) periit aut negligentia. Si enim occidere voluisset, profecto non Athenas misisset ad interpretem rerum sacrarum. Cur filius patrem, si facinus homicidii perpetraverat, non potius ex prisco Graecorum more expiavit sacrificiis deorumque iram placavit sacris donis? At Euthyphro videlicet simillimus est Atheniensium illius aetatis, quos litigiosissimos fuisse quis est, qui nesciat? Ergo tantum abest, ut Euthyphro pium se praestet hominem patre accusando, ut etiam impietatis maximae culpam contraxerit atque omnium temporum ignominiam meruerit. Quare Socrates eum identidem monet, ne patrem accusans impie agat (p. 4 B. E, p. 9 A. B, p. 15 D); quis enim, si ultimum locum eorum, quos modo attuli, diligentius perpendat, non vim maximam uniuscujusque vocabuli exaudiat: *εἰ γὰρ μὴ ᾔδησθα σαφῶς τό τε ὅσιον καὶ τὸ ἀνόσιον, οὐκ ἔστιν ὅπως ἄν ποτε ἐπεχείρησας ὑπὲρ ἀνδρὸς θητὸς ἄνδρα πρεσβύτην πατέρα διωκάθειν φόνου, ἀλλὰ καὶ τοὺς θεοὺς ἂν ἔδεισας παρακινδυνεύειν, μὴ οὐκ ὀρθῶς ποιήσοις, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ᾐσχύνθης*? Qua in re cui non in memoriam revocatur locus ille clarissimus Matthaei evangelii, qui legitur Cap. XV verss. 4—8: „Deus praecepit: Honora patrem et matrem, et: Qui patri aut matri maledicat, supplicio afficiatur. Vos vero dicitis: Quicunque patri aut matri dixerit: Donum (est) sacrum, quod forsitan a me acceperis . . .; itaque neque patrem aut matrem honorabit. Atque praeceptum dei vestra propter placita abrogastis. Simulatores, de quibus Jesaias praeclare praedixit: Hic populus labiis me honorat, animus vero procul a me alienus est. Frustra me venerantur tradentes praecepta ab hominibus inventa.“ Eandem pietatem falsam, quam rectius dixeris impietatem, Plato Meleti exemplo illustrat. Is enim unus ex tribus illis Atheniensibus fuit, qui Socratem postulaverant impietatis. Juvenis ergo paene imberbis et rerum divinarum prorsus ignarus impietatis crimine arcessit senem, qui haud procul abest a morte, quem Apollinis oraculum omnium hominum sapientissimum judicavit! Quam perversae erant illo tempore apud Athenienses rationes pietatis et impietatis! Quamquam ipse Socrates illum Meletum, accusatorem suum, laudare videtur, quasi vere sapiens et aequalium saluti prospiciens et reipublicae incolumitati consulens ea prima eruere conetur, quae tenellas civitatis plantas corrumpant (p. 2 C — 3 A), tamen his omnibus revera juvenilem ejus summam ignorantiam, arrogantiam, petulantiam, levitatem, mollitiem acerbissime perstringit atque castigat, indicans vere saluti reipublica prospicere eum, qui juvenes ita doceat, ut ad veram pietatem ac virtutem perveniant. Quod quidem non Meletus, sed Socrates fecit. Nihilo tamen secius Meletus pium se esse opinabatur quippe deditum vulgaribus religionibus atque prohibentem, quominus quis rebus novis studeret novosque deos introduceret; quae quum Socratem moliri putaret, hunc accusavit impietatis nec intellexit sancta se officia violare, quae juvenes explere debent senibus. Impium est enim omnino juvenem petere senem, magis impium juvenem levem, arrogantem, mollem petere senem sanctum, vere sapientem, constantem, maxime impium id agere accusando, ut ejusmodi senex, quem dii ipsi Atheniensibus misisse videbantur, ut in explorandis et ad virtutem atque honestatem excitandis hominibus sancto fungeretur officio (Apol. p. 30 A), qui omnium suorum commodorum oblitus verae hominum saluti per totam vitam prospiciebat, de medio tollatur idcirco, ne stimulos amplius admoveat animis insipientium atque impiorum. Quae quamquam disertius atque copiosius in Apologia tractantur, tamen etiam hoc in dialogo tanguntur; nam etiam Euthyphro (p. 3 A) concedit Meletum sibi prorsus ab ara et foco initium facere videri civitatis violandae, si Socratem injuria afficere aggrediatur. Ita-

que Plato his duobus exemplis satis docuit falsam esse eam pietatem, quae induci posset, ut etiam sancta officia violaret.

Sed non modo hoc falsae pietatis genus in dialogo refutavit, sed etiam illud, quod in singulis quibusdam actionibus piis rebusque externis cerneretur. Euthyphro enim ab initio pietatem in eo positam esse dicit, ut malefici in jus vocentur. Paulo post addit etiam in aliis actionibus cerni similibus, quibus putat maleficia expiari, jura et divina et humana defendi, facinora improba prohiberi. In extrema dialogi disputatione ad initium revolutus pietatem definit in sacrificiis offerendis et in precibus fundendis esse sitam. Multas igitur singulas actiones enumerat pias easque externas. Quam omnino pietatis postremam proposuit definitionem his verbis: *ἐὰν μὲν κεχαρισμένα τις ἐπίστηται τοῖς θεοῖς λέγειν τε καὶ πράττειν εὐχόμενός τε καὶ θύων, ταῦτ' ἔστι τὰ ὅσια, τὰ δ' ἐναντία τῶν κεχαρισμένων ἀσεβῆ* (p. 14 B), ea vulgaris est opinio veterum de pio deorum cultu, cui videlicet etiam Euthyphro inhaerescebat. Licet enim Socrate duce ac magistro pietatem partem esse concesserit *δικαιοσύνης* i. e. honestatis diis probatae, tamen ad hanc puriorem hujus virtutis primariae cogitationem et definitionem excitari nequit, sed in ea acquiescit, quam tota antiquitas amplexata est, justitia suum cuique tribui. Quod si transfertur ad pietatem, quae in cultu deorum obvia est, diis tribuuntur ea, quae iis debentur, *τιμή, γέρα, χάρις* (p. 15 A. B.), hominibus ea, quae debentur hominibus, *χρήματα, ὧν δέονται παρ' ἐκείνων* (p. 14 D E). Quam ipsam rem Plato Rep. I. p. 331 B. brevissime ita comprehendit: *ὀφείλοντα ἢ θεῷ θυσίας τινὰς ἢ ἀνθρώπῳ χρήματα.* Utrumque autem sacrificando efficitur et precando. Ergo si homines deos donis, hostiis, quae iis accepta sunt et jucunda, honorant, si vicissim dii hominibus praebent ea, quae ab iis precantur, propterea quod indigent, utrisque suum tribuitur et cultui deorum satisfit. Qua in re nihil prorsus refert, qua mente homines sacra offerant et preces fundant, dummodo deorum non obliti semper teneant, quae iis tribuere debeant. Ita si agunt homines, dii propitios se praestant hominibus nec invident nec irascuntur. At hanc vulgarem externamque pietatem Plato Socratem lepida sua urbanitate refutantem atque detestantem facit, non quo sacrificia omnino non facienda nec preces fundendas esse censuerint, quod melius cognoscimus de Socrate ex Xenoph. Memor. I, 1 et de Platone ex libris de Repub., de Leg., ubi de sacris faciendis et festis agendis praecipitur, sed quod, nisi pia mente et honesta vitae ratione dii colerentur, nec sacrificia nec preces ullius esse pretii aut diis placere posse sibi persuaserant. Legatis, quaeso, locum Xenophontis hac de re praestantissimum lib. I. Cap. III, § 2—4, qui his verbis finitur: *ἀλλ' ἐνόμιζε τοὺς θεοὺς ταῖς παρὰ τῶν εὐσεβεστάτων τιμαῖς μάλιστα χαίρειν.* Eadem est sententia ejus, qui Alcibiadem II conscripcit, sive Plato sive alius, quod recentiores Platonis interpretes paene omnes statuunt, qui cum Platone consentiens p. 149 praeclare ita hanc rem persequitur: *Καὶ γὰρ ἂν δεινὸν εἴη, εἰ πρὸς τὰ δῶρα καὶ πρὸς τὰς θυσίας ἀποβλέπουσιν ἡμῶν οἱ θεοί, ἀλλὰ μὴ πρὸς ψυχὴν, ἄν τις ὅσιος καὶ δίκαιος ὢν τυγχάνῃ.* Ergo ne hanc quidem pietatem sufficere, quae in singulis quibusdam actionibus iisque externis cerneretur, qualescunque essent, nisi ex pio animo proficiscerentur, sed omnem ejusmodi de hac virtute opinionem falsam esse abunde indicavit in Euthyphrone adversario ad absurda perducto.

Eadem disputandi ratione tertiam falsam de pietate opinionem refellit, qua Euthyphro deos utilitatis percipiendae causa coli contendit. Ista res maxime duobus quintae partis locis tractatur. Uno (p. 14 E — 15 A) Euthyphro, quamquam invitus, concedere cogitur pietatem esse artem quandam negotiandi, quae lucri causa exerceatur. Nam et ad deos et ad homines commoda quaedam redundare ex pietate, ad deos ex sacrificiis, ad homines ex precibus, quas dii exaudiant; itaque et deos et homines accipere eas res, quarum utrique indigeant. Quamquam paulo post denuo in tantas disputandi angustias compellitur, ut dubitet, num recte dii commoda percipere dicantur ex iis donis, quae ab hominibus offerantur, quum Socrates docuisset

nullum quidem esse bonum, quod non dii dedissent, sed homines diis nihil boni tribuere posse. Nam quod Euthyphro interrogatus: *Ἀλλὰ τί δήποτ' ἂν εἴη ταῦτα, ὦ Εὐθύφρον, τὰ παρ' ἡμῶν δῶρα τοῖς θεοῖς;* respondet: *τιμὴ* et *γέρα* et *χάρις,* id quod jam supra tractavimus, difficultatem non ita expedit, ut Socratis ingenio satisfaciat, sed ita, ut ad vulgarem confugiat de donis sacris opinionem. Etenim si Socratem recte percepisset, deos omnino nullius rei indigere intellexisset, et, ita res si se haberet, injustam esse rationem, quae intercederet inter deos et homines, qua homines omnia bona a diis perciperent, dii ab hominibus nullum, facile sibi persuasisset. Iam enim futurum esse, ut pietas recte appellaretur ars mercaturae faciendae, quam negotiatores non facerent nisi quaestus causa. Quam vero indigna haec sit de pietate opinio, vel Euthyphro haud multum abest, quin hoc loco sentiat. Altero autem loco (p. 14 B) Euthyphro non disertis quidem verbis dicit, sed, ut vulgaribus deditus est opinionibus et nexus docet totius partis, satis aperte indicat sibi videri pietatem ideo colendam esse, ut domus civitatesque conserventur, impietatem fugiendam, ne labefactentur aut subvertantur. Quod pietatis commodum quantumvis non parvi aestimandum censeat, tamen Plato hunc nec primum nec summum pietatis finem esse vult, ut incolumitati rerum et publicarum et privatarum prospiciatur, sed ut animorum singulorum saluti consulatur, omnium mores emendentur, omnes ad virtutem perducantur atque ad similitudinem deorum conformentur. Quae sententia centies apud Platonem obvia est, *τοὺς ἀνθρώπους ἐπιμεληθῆναι δεῖν, ὅπως ἔσονται ὅτι ἄριστοι,* ea non praetermissa est in Euthyphrone, cf. p. 2 D, et extremis totius dialogi verbis res ipsa satis clare significatur. Atque ita revera est. Dummodo pietas vera in omnium animis insideat, plurimae utilitates in omnes res et publicas et privatas redundant. Nam prorsus assentiendum est Theaeteto, qui Socratis sapientiam admiratus haec jactat: *Εἰ πάντας, ὦ Σώκρατες, πείθοις ἃ λέγεις ὥσπερ ἐμὲ, πλείων ἂν εἰρήνη καὶ κακὰ ἐλάττω κατ' ἀνθρώπους εἴη* (Theaet. p. 176 A). At quicunque lucri causa sive majoris sive minoris pietati studet, viam ac naturam hujus divinae virtutis non satis perspectam habet. Qui igitur plures et pretiosiores victimas immolat eo consilio, ut plura sibi et pretiosiora dona a diis reddantur, is maximo in errore versatur falsamque habet pietatem. „*Θυσίας δὲ θύων μικρὰς,* inquit de Socrate Xenoph. in Memor. lib. I. Cap. III. § 3, *ἀπὸ μικρῶν, οὐδὲν ἡγεῖτο μειοῦσθαι τῶν ἀπὸ πολλῶν καὶ μεγάλων πολλὰ καὶ μεγάλα θυόντων· οὔτε γὰρ τοῖς θεοῖς ἔφη καλῶς ἔχειν, εἰ ταῖς μεγάλαις θυσίαις μᾶλλον ἢ ταῖς μικραῖς ἔχαιρον κτλ.* Idem de precibus (cf. Matth. evang. Cap. VI v. 7) et reliquis actionibus dicendum est piis.

Restat, ut de quarto falsae pietatis genere agamus, quod omnino falsis de diis opinionibus niti diximus, audiamusque, quanta vi quantaque severitate Plato has quoque vulgares superstitiones in Euthyphrone improbaverit. Hic autem non sufficit unum aut alterum dialogi locum afferre, sed toto dialogo ab initio usque ad finem demonstratur, nisi pietas vera deorum cognitione nitatur, recte nec verbis definiri eam posse nec exerceri in vita. Qua de causa auctor ab initio insipientiam, arrogantiam et levitatem vituperat Meleti, qui quum vulgaribus de diis opinionibus et superstitionibus adstrictus sit, tamen insimulet impietatis nomine eum, qui singulari quadam deorum familiaritate utatur et in pietate exercenda per totam vitam omne studium posuerit. Eadem de causa Euthyphronis impietatem castigat, qui, quid pietas aut praeciperet aut prohiberet, tam parum perspexerit, ut patri causam impingeret capitalem. Eadem de causa fabulas de diis fictas absurdas esse atque ineptas indicat, quin etiam iis seductos homines deorum exempla secutos peccata admittere multa; unde etiam fieri posse dicit, ut, quid sit bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe, dii inter se dissentire putentur. Eadem denique de causa errare ostendit, qui deos existiment quum omnino alicujus rei indigere tum maxime rei ab hominibus offerendae. Quarum rerum quum nonnullas jam supra satis exposuisse nobis videamur, eas tantum, quas medias posuimus, quae prima maxime et secunda dialogi parte tractantur, hoc loco accuratius considerabimus. Quibus in rebus quamvis faceta modo ironia Socra-

tes uti videatur, tamen gravissime indignatur, quod Euthyphro vulgaribus de diis opinionibus adeo inhaerescat, ut omnes fabulas de iis commenticias credat esse veras. Hoc enim fere modo eum disputantem nobis audire videmur: Non miror, quod impie agitis, si impios creditis esse deos; nam homines ad similitudinem deorum sese conformare solent. At ridiculum est credere Jovem vinxisse patrem, ridiculum Chronum patrem execuisse, ridiculum bella geri inter deos certaminaque esse inter eos et controversias et invidias vehementissimas, ridiculum ea omnia credere, quae et poetae et pictores reliquique artifices finxerunt (cf. p. 6 A—C). Maximopere dolendum est, quod poetae nostri et ceteri artifices, qui vates et praecones debebant esse veri, dulcedine artis suae animos adeo deliniverunt et permulserunt, ut jam omnes falsis illis ac superstitiosis de diis opinionibus ridiculisque fabulis teneantur. Praeterea qui tandem potestis putare deos inter se dissentire aliisque alia placere? Dissentiant homines, quid sit justum, quid injustum, quid bonum, quid malum, quid honestum, quid turpe; at deos, si vere sunt, cogitari nullo modo potest his de rebus dissentire; nam prima deorum virtus debet esse bonitas, quae eadem est justitia et honestas (cf. Protag. p. 328 C seqq.). [Falsam esse opinionem, qua dii inter se dissentire de vi virtutum credantur, ut jam supra exposuimus, *εἴπερ στασιάζουσι* locutione ter repetita et verbis tantum variata gravissime indicavit nec minus iis locutionibus, quibus Plato uti solet, quum Euthyphronem errare exprimere vult: *κατὰ τὸν σὸν λόγον* p. 7 E, *ὡς σὺ φῄς* p. 7 E, *ὡς ὁ σὸς λόγος* p. 8 D (cf. p. 10 D et *ὡς σὺ λέγεις* p. 3 D, p. 4 E, p. 10 D)]. Quapropter exstirpandae sunt ex animis vestris falsae illae de diis opiniones ac prorsus exterminandae, si ad veram pietatem pervenire vultis. Nam quae pietas falsis nititur de diis opinionibus, ipsa falsa sit necesse est. Quam vere haec Socrates disputet, quis est, quin intelligat? Hoc enim dubitari nequit, quin, quo purior ac verior sit dei cognitio, eo purior ac verior sit pietas, dummodo homines hujus virtutis sint cupidi ac studiosi.

Quibus expositis, quas falsas de diis opiniones Plato Socratem refutantem faciat, vidimus. Atque hoc unum hoc in dialogo Plato egisse videtur, ut falsas esse ac superstitiosas demonstraret vulgares illas opiniones; nam nusquam disertis verbis dicit, quam ipse pietatem veram esse statuat dignamque, quam homines et contemplando et agendo amplectantur. Nihilo tamen minus liceat paucis exquirere et examinare, quid ipse Plato de pietatis notione ac specie sensisse videatur. Neque difficile erit haec disserere, si lepore, quo, quae ipse sentiat, dissimulare videtur, sublato ipsum Socratem intueri ausi erimus contraria sentientem; nec quidquam aliud nobis faciendum videtur, quam ut, quae singula hucusque copiosius explanavimus, ea breviter comprehendamus et in uno conspectu ponamus.

Hoc autem ante omnia postulat, ut et boni dii ac sancti esse et iidem, quid sit honestum, quid turpe, prorsus inter se consentire credantur; quod utrumque Euthyphro aliter statuit p. 6 A—C, p. 7 D — 8 E. Quod Plato hoc in dialogo tecte atque obscure indicat, planissime atque apertissime in aliis exponit, ex quibus hos duos locos laudamus. *Τὸ θεῖον καλὸν, σοφὸν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτον* Phaedr. p. 246. *Ἀγαθὸς ὁ θεὸς ..... καὶ τῶν μὲν ἀγαθῶν οὐδένα ἄλλον αἰτιατέον, τῶν δὲ κακῶν ἄλλ' ἄττα δεῖ ζητεῖν τὰ αἴτια, ἀλλ' οὐ τὸν θεόν* de Repl. II. p. 379. Imitandos autem esse deos hominibus adeo per se intelligitur, ut nemo unquam fuerit, qui in dubitationem vocaret. Hac de re et Euthyphro (p. 6 A) et Socrates inter se consentiunt. Ex Platonis reliquis dialogis illum Theaeteti praeclarissimum locum afferre liceat, quo Socrates ita verba facit: *Οὔτ' ἀπολέσθαι τὰ κακὰ δυνατὸν, ὦ Θεόδωρε· ὑπεναντίον γάρ τι τῷ ἀγαθῷ ἀεὶ εἶναι ἀνάγκη· οὔτ' ἐν θεοῖς αὐτὰ ἱδρύσθαι, τὴν δὲ θνητὴν φύσιν καὶ τόνδε τὸν τόπον περιπολεῖ ἐξ ἀνάγκης. διὸ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατόν· ὁμοίωσις δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Theaet. p. 176 AB. Ergo si quis bonos ac sanctos esse deos sibi persuasit, in eorum bonitate ac sanctitate imitanda ei omni virium contentione elaborandum est. Sed

prius ad ipsam deorum similitudinem pervenire nemo potest, quam, quae prava insederunt in natura humana, ea exstirpavit, mores emendavit et divinam illam scintillam, quae ex mundo coelesti in animos humanos infusa est, ab omni hujus terrae colluvie liberavit atque ad propriam naturam virtutemque revocavit. Quicunque in hoc studio ita versatur, ut non modo maculas nonnullas eluere, sed universam divinitatem assequi conetur, is pius appellandus est vel potius sanctus. Neque enim hoc loco praetermittendum est, Platonem in suis libris, ubi de pietate loquatur, vocabula *ὅσιος, ἀνόσιος, ὁσιότης, ἀνοσιότης* multo saepius usurpare quam *εὐσεβής, ἀσεβής, εὐσέβεια, ἀσέβεια*; velut in eo dialogo, qui Euthyphro inscribitur, quem nos tractamus, adjectivis *ὅσιος* vel *ἀνόσιος* nonagies ter, substantivis *ὁσιότης* vel *ἀνιοσιότης* septies, adjectivis vero *εὐσεβής* vel *ἀσεβής* quinquies, substantivis *εὐσέβεια* vel *ἀσέβεια* ter, verbo *ἀσεβεῖν* semel usus est. Quid autem inter utrumque vocabulum intersit, facile apparet. *Εὐσεβής* enim is est, qui deos veneratione prosequitur et quia veretur, ne eorum aut invidiam aut iram sibi colligat, nulla re omissa, quae ad gratiam conciliandam valeat, sacrificiis offerendis et precibus fundendis et aliis actionibus piis factitandis debitos iis honores tribuit. *Ὅσιος* vero quamquam eodem modo deos colit, tamen non in ipsis externis rebus piis acquiescit, sed id agit, ut deos sancte et pie veneretur totamque vitam recte et sentiendo et agendo ita degat, ut diis probetur. Huc accedit, ut *εὐσέβεια* magis omnia pietatis genera, quae Romani quoque statuunt, in deos, in parentes, in cognatos ac necessarios, in patriam complectatur, *ὁσιότης* vero prope ad unam referatur eam rationem conjunctionemque, quam homines habent et habere debent cum diis. Quapropter facile intelligitur, cur Plato illo potissimum vocabulo utatur, quippe quod plenius sit et gravius et sublimiorem ac puriorem pietatis speciem denotet. Nam ex Platonis sententia pii sunt ii, qui deos sancte venerantur ita, ut ad divinam eorum naturam proxime accedere studeant. Qui ita pii sunt, nec sancta officia violant, quia sanctis deorum praeceptis obediunt, nec in singulis quibusdam actionibus piis acquiescunt, quia, nisi quid pia sanctaque mente factum sit diis non placere exploratum habent, nec lucri cujuscunque causa deos colunt, quia gratum se potius pro plurimis beneficiis acceptis animum diis debere nec ad deorum similitudinem accedere posse sibi persuaserunt, nisi pie et sancte et religiose agant et in homines et in deos. Haec vera pietas fundamentum est, cui tota vita humana et recta et beata superstruitur ita, ut et ex cogitatis et ex dictis et ex factis exsplendescat. Ex hoc uno fonte omnes virtutes proficiscuntur, primum quas primarias Plato ponit, justitia, temperantia, sapientia, fortitudo, tum quae ex his oriuntur singulae eaeque maxime variae. Quantumvis enim multae et variae esse possint virtutes, prout variae vitae humanae rationes postulant, tamen omnes non diversam, sed unam eandemque habent naturam ita, ut uno virtutis nomine omnes liceat comprehendere, cf. Protag. 329 C. Hac pietate et singulorum animorum salus augetur et rerum publicarum incolumitas adjuvatur. *Τὸ θεῖον καλόν, σοφόν, ἀγαθὸν καὶ πᾶν ὅ τι τοιοῦτον. τούτοις δὴ τρέφεταί τε καὶ αὔξεται μάλιστά γε τὸ τῆς ψυχῆς πτέρωμα, αἰσχρῷ δὲ καὶ κακῷ καὶ τοῖς ἐναντίοις φθίνει τε καὶ διόλλυται.* Phaedr. p. 246. Nec improbanda sunt hic, quae Euthyphro de pietate praedicat (p. 14 B): *ταῦτ' ἔστι τὰ ὅσια, καὶ σώζει τὰ τοιαῦτα τούς τε ἰδίους οἴκους καὶ τὰ κοινὰ τῶν πόλεων, τὰ δ' ἐναντία ἀσεβῆ, ἃ δὴ καὶ ἀνατρέπει ἅπαντα καὶ ἀπόλλυσιν.* Haec pietas quasi ministra deorum est in mundo regendo. Haec ita esse etiam Euthyphro intellexisset, si verae pietatis vim ac naturam perspexisset, cf. p. 13 D E — 14 A. Nam tribus exemplis medicorum, fabrorum navalium, architectorum ita instructus ab Socrate atque praeparatus erat, ut simile quid a diis effici hominibus ministrantibus respondere posset atque a medicis, qui valetudinem curarent, et a fabris navalibus, qui naves aedificarent, et ab architectis, qui aedificia exstruerent, suis quosque ministris adjuvantibus. Eadem enim ratione dii hominibus ministris opus aliquod praeclarum faciunt. Quare Socrates ex Euthy-

phrone quaerit: *Εἰπὲ δὴ πρὸς Διός, τί ποτ᾽ ἐστὶν τὸ ἐκεῖνο πάγκαλον ἔργον, ὃ οἱ θεοὶ ἀπεργάζονται ἡμῖν ὑπηρέταις χρώμενοι;* Ad quae respondendum erat: Mundi gubernatio ea, qua omnes ad deorum similitudinem perducantur. Quum autem dii sint boni ac sancti, etiam humanos animos fieri volunt bonos ac sanctos; omnino suam ipsorum naturam honestam et justam et bonam, quam Plato iis attribuit, per totum mundum disseminatam, pravitate diis contraria exstirpata, unam regnare cupiunt. Neque tamen soli in hoc opere perficiendo versari volunt, sed etiam hominibus utuntur ministris. Quapropter ita homines adjuvare debent deos, ut et semetipsos et alios explorent et ad virtutem excitent, id agentes, ut magis magisque omnes homines ad deorum similitudinem conformentur. Qui igitur in eo studio versantur, ut et ipsi ad perfectam deorum naturam quam proxime accedant et alios hac in re quantum possint adjuvent, vere pii sunt. Ea ipsa de causa Socrates, quem Plato praeclarissimum verae pietatis ac virtutis proposuit exemplum omnibus imitandum, in Apologia (cf. p. 30 A) ministerio quodam se fungi deo praestando dicit; mandasse enim sibi deum, ut homines, quotquot conveniret, exploraret, pravitatis et insipientiae convinceret, ad virtutem excitaret atque revocaret. Quo munere quid potest esse majus, quid praestantius, quid magnificentius? Atque quanto purior ac sublimior haec est pietatis cognitio atque definitio vulgari illa et falsa, quae in Euthyphrone praeclare refutatur! Ea est, quae omnibus temporibus opponi posse videatur vulgaribus quibuscunque et falsis de pietate opinionibus. Quare hac quoque in re Plato lucem praetulit temporibus insequentibus, dum is exstitit, per quem omnia sunt perfecta et consummata, Jesus Christus. Etenim si quaerimus, quibus rebus adjuti antiqui homines ad pietatem reliquasque virtutes pervenire potuerint, ne Plato quidem aliud quidquam respondere potest quam: Sapientia, et fortasse addit: Socratis exemplo (Apol.). At licet concedamus illam sapientiam petitam esse ex ratione et conscientia et Socratis exemplum fuisse praestantissimum, tamen nec sufficere potest credere esse deos et virtutem esse expetendam et animos post mortem fore immortales nec Socratis exemplum valet ad salutem animi adipiscendam. Jesus Christus demum et doctrina et exemplo et morte sua potestatem nobis comparavit vitae his in terris recte agendae et beatae etiam post mortem adipiscendae, atque nisi spiritus sanctus vires praebet divinas, quibus adjuti atque corroborati ad divinam naturam Christi similem enitamur, ad divinitatem deique similitudinem pervenire non possumus; quod quidem possumus, dummodo adjumenta et adminicula divina non repudiemus, sed in salute animorum nostrorum adipiscenda studium collocemus acerrimum. Nam qui pii sunt ratione christiana, non sapientia ad virtutem ducuntur, sed amore gratoque animo erga deum, nec humanis exemplis ad summa quaeque propelluntur, sed exemplo Christi divino. Tres virtutes primarias christianas, fidem, caritatem, spem qui amplexantur, vinculo cum deo continentur arctissimo ita, ut etiam homines amore flagranti complectantur nec sancta officia negligant aut in parentes aut in cognatos aut in patriam aut in proximos quoslibet.

Utinam haec pietas in novis Joannei aedibus, quas inauguraturi sumus, floreat ac vigeat! Utinam omnes, qui limina intrabunt, pia mente ingrediantur, egrediantur pia mente omnes, qui discedent! Utinam magistri et discipuli pari sanctitatis studio delectentur, pari dei, quem Christi meritis cognovimus, amore ardeant! Utinam Joanneum nostrum seminarium sit pietatis tam verae, ut omnes virtutes christianae ex eo efflorescant! Utinam huic urbi sit ornamento, patriae decori, toti generi humano emolumento! Utinam permulti in eo erudiantur, qui deo ministros se praebeant in mundo gubernando i. e. ad dei similitudinem conformando! Quod faxit deus!

Michael.

Kurze geognostische Beschreibung

der

Südlausitz und der angrenzenden Theile Böhmens und Schlesiens.

Mit einer geognostischen Karte.

Die Schüler des Gymnasiums und der Realschule zu Zittau stammen der grössten Mehrzahl nach aus dem südlichen Theile der sächsischen Oberlausitz und den angrenzenden Gegenden Böhmens. Es schien daher dem Verfasser dieser Abhandlung nicht unpassend, bei Gelegenheit der bevorstehenden Einweihungsfeierlichkeiten der künftigen geistigen Heimathsstätte der uns anvertrauten Jugend, des Johanneums, die Aufmerksamkeit auf den schönen Landstrich hinzulenken, in dem die allermeisten unsrer Schüler ihre leibliche Heimath haben.

Während nun aber in einem früheren Programme unsrer Anstalt[1]) die reichhaltige Flora der Umgegend Zittau's behandelt ist, soll die gegenwärtige Arbeit eine geognostische Beschreibung der näheren und entfernteren Umgebung unsrer Stadt enthalten. Wie in botanischer, so gewähren auch in geognostischer Hinsicht die Südlausitz und die daran grenzenden Theile Böhmens mannichfaches wissenschaftliches Interesse. Hiervon dem denkenden Naturfreunde nach Kräften eine klare Einsicht zu verschaffen und andrerseits dem Geognosten vom Fache eine Art Wegweiser zur Orientirung über die geognostischen Vorkommnisse der betreffenden Gegenden darzubieten, das ist der Zweck gegenwärtiger Abhandlung.

Das in dieser letzteren zu beschreibende Gebiet wird von einem Quadrate umfasst, an dessen Umfange die Orte Sohland a. d. Spree, Kunewalde und Löbau in Sachsen, Schönberg und Seidenberg in Preussen, Friedland, Reichenberg, Wartenberg, Schwoika, Neustadtel, Kamnitz, Kreibitz und Schluckenau in Böhmen gelegen sind. Zittau liegt im Mittelpunkte dieses Quadrates.

---

[1]) Progr. des Gymnasiums zu Zittau v. 1854. Enthaltend: Verzeichniss der in der Umgegend von Zittau wild wachsenden, offenblüthigen Pflanzen. Von G. Cantieny.